

II. DOKUMENTY STOLICY APOSTOLSKIEJ

1. KONGREGACJA DS. KULTU BOŻEGO I DYSCYPLINY SAKRAMENTÓW

a. Dekret zatwierdzający teksty liturgiczne w języku łacińskim na nowe święto ku czci naszego Pana, Jezusa Chrystusa, Najwyższego i Wiecznego Kapłana

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 1040/11/L

DECRETUM

Quo efficacius gratia anni sacerdotalis super populum Dei perseveret in tempore Summus Pontifex BENEDICTUS XVI formularia liturgica pro celebratione Domini nostri Iesu Christi Summo et Aeterno Sacerdote benigne disposuit apparando, ut ad usum singularum Conferentiarum Episcopaliū, quae petent, praeberentur.

Haec porro Congregatio de Culto Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore peculiarium facultatum ab eodem Summo Pontifice ad hoc tributarum, textum latinum Missae, Liturgiae Horarum et Martyrologii Romani de Domino nostro Iesu Christo Summo et Aeterno Sacerdote, prout in adiecto exstat exemplari libenter probat et typicum esse declarat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 19 iunii 2012.

(+ Antonius Card. Cañizares Llovera)

Praefectus

(Rev. Doms Ioannes Michael Ferrer Grenesche)

Subsecretarius

MISSALE ROMANUM
PROPRIUM DE TEMPORE
Feria V post Pentecosten

**DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
SUMMI ET ÆTERNI SACERDOTIS**

Festum

Ant. ad introitum

Cf. Hebr 7, 24; 9,15

Christus, Mediátor novi testaménti
eo quod máneat in ætérnum,
sempitérnum habet Sacerdótium.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui ad maiestátis tuæ glóriam et géneris humáni salútem,
Unigénitum tuum Summum atque Ætérnum constituísti Sacerdótem,
præsta, ut, Spíritu Sancto largiénte,
quos minístros et mysteriórum suórum dispensatóres elégit,
in accépto ministério adimpléndo fidéles inveniántur.
Per Dóminum nostrum.

Super oblata

Hæc múnera, Dómine,
Mediátor noster Iesus Christus tibi reddat accépta
et nos, una secum, hóstias tibi gratas exhíbeat.
Qui tecum vivit.

Præfatio: De sacerdotio Christi et Ecclesiae

V/. Dóminus vobíscum.

R/. Et cum spíritu tuo.

V/. Sursum corda.

R/. Habémus ad Dóminum.

V/. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R/. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui Unigénitum tuum Sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti Pontíficem,
et ineffábilí dignátus es dispositióne sancíre,

ut unicūm eius sacerdotiū in Ecclesia servaretur.

Ipse enim non solum regali sacerdotio
populū acquisitionis exornat,
sed etiam fraternā homines eligit bonitate,
ut sacri sui ministerii fiant manuum impositione partīcipes.

Qui sacrificiū renouent, eius nōmine,
redemptionis humanæ,
tuis apparāntes filiis paschale convivium,
et plebem tuam sanctam caritate praeueniant,
verbo nutrant, reficiant sacramentis.

Qui, vitam pro te fratrumque salute tradentes,
ad ipsius Christi nitantur imaginem conformari,
et constanter tibi fidem amorēque testentur.

Unde et nos, Dōmine, cum Angelis et Sanctis universis
tibi confitemur, in exultatione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dōminus Deus Sābaoth...

Ant. ad communionem

Mt 28, 20b

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus,
usque ad consummationem saeculi.

Post communionem

Vivificet nos, quæsumus, Dōmine,
divina quam obtulimus et sumpsimus hostia,
ut, perpétua tibi caritate coniuncti,
fructum, qui semper maneat, afferamus.
Per Christum.

MISSALE ROMANUM
LECTIONARIUM

Feria V post Pentecosten

**DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
SUMMI ET ÆTERNI SACERDOTIS**

Festum

Anno A

LECTIO PRIMA

Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ.

Lectio libri Génesis

22, 9-18

In diébus illis:

Venérunt Abraham et Isaac ad locum, quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit Abraham altáre et désuper ligna compósuit. Cumque colligásset Isaac filium suum, pósuit eum in altári super struem lignórum extendítque Abraham manum et arrípuít cultrum, ut immoláret filium suum.

Et ecce ángelus Dómini de cælo clamávit: «Abraham, Abraham». Qui respóndit: «Adsum».

Dixítque: «Non exténdas manum tuam super púerum neque fácias illi quidquam. Nunc cognóvi quod times Deum et non pepercísti filio tuo unigénito propter me».

Levávit Abraham óculos suos vidítque arietem unum inter vepres hæréntem córnibus; quem assúmens obtulit holocáustum pro filio. Appellavítque nomen loci illíus: «Dóminus videt». Unde usque hódie dícitur: «In monte Dóminus vidétur».

Vocávit autem ángelus Dómini Abraham secúndo de cælo et dixit: «Per memetípsum iurávi, dicit Dóminus: quia fecísti hanc rem et non pepercísti filio tuo unigénito, benedicam tibi et multiplicábo semen tuum sicut stellas cæli et velut arénam, quæ est in lítore maris. Possidébit semen tuum portas inimicórum suórum et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obædísti voci meæ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 39, 7-8a. 8b-9. 10-11ab. 17 (R/. 8a. 9a)

R/. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

Sacrificium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
tunc dixi: «Ecce vénio. R/.

In volúmine libri scriptum est de me.

Fácere voluntátem tuam,

Deus meus, vólui;

et lex tua in præcórdiis meis». R/.

Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
 ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti.
 Iustítiam tuam non abscondi in corde meo,
 veritátem tuam et salutáre tuum dixi. R/.

Exsúltent et læténtur in te
 omnes quæréntes te;
 et dicant semper: «Magnificétur Dóminus»,
 qui díligunt salutáre tuum. R/.

Vel:

In capitulo libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

Léctio Epístolæ ad Hebræos

10, 4-10

Fratres:

Impossibile est ságuinem taurórum et hircórum auférre peccáta.

Ideo ingrédienti mundum Christus dicit: «Hóstiam et oblatiónem noluisti, corpus autem aptásti mihi; holocaustómata et sacrificia pro peccáto non tibi placuérunt. Tunc dixi: Ecce vénio, in capítulo libri scriptum est de me, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam».

Supérius dicens: «Hóstias et oblatiónes et holocaustómata et sacrificia pro peccáto noluisti, nec placuérunt tibi», quæ secúndum legem offerúntur, tunc dixit: «Ecce vénio, ut fáciam voluntátem tuam». Aufert primum, ut secúndum státuat; in qua voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Christi Iesu in semel.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

Phil 2, 8-9

R/. Allelúia.

Christus factus est pro nobis oboédiens usque ad mortem,
 mortem autem crucis.

Propter quod et Deus exaltávit illum:

et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

R/. Allelúia.

EVANGELIUM

Tristis est anima mea usque ad mortem.

✠ Léctio sancti Evangélíi secúndum Matthæum

26, 36-42

Venit Iesus cum discíplis in prædium, quod dicitur Gethsémani. Et dicit discíplis: «Sedéte hic, donec vadam illuc et orem». Et assúpto Petro et duóbus filiis Zebedæi, cœpit contristári et mæstus esse. Tunc ait illis: «Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hic et vigiláte mecum».

Et progréssus pusíllum, prócidit in fáciem suam orans et dicens: «Pater mi, si

possibile est, transeat a me calix iste; verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu».

Et venit ad discípulos et invénit eos dormiéntes; et dicit Petro: «Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte et oráte, ut non intrétis in tentatiónem; spíritus quidem promptus est, caro autem infirma».

Iterum secúndo ábiit et orávit dicens: «Pater mi, si non potest hoc transíre, nisi bibam illud, fiat volúntas tua».

Verbum Dómini.

Anno B

LECTIO PRIMA

Feriam pactum novum ei peccati non memorabor.

Léctio libri Ieremíæ prophetæ

31, 31-34

«Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et fériam dómui Israel et dómui Iudæ pactum novum; non secúndum pactum, quod pépigi cum pátribus eórum in die qua apprehéndi manum eórum, ut edúcerem eos de terra Ægýpti, pactum, quod írritum fecérunt, et ego dominátus sum eórum, dicit Dóminus.

Sed hoc erit pactum, quod fériam cum domo Israel post dies illos, dicit Dóminus: Dabo legem meam in viscéribus eórum et in corde eórum scribam eam; et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in pópulum. Et non docébit ultra vir próximum suum et vir fratrem suum dicens: “Cognósce Dóminum”; omnes enim cognóscent me, a mínimo eórum usque ad máximum, ait Dóminus, quia propitiábor iniquitáti eórum et peccáti eórum non memorábor ámplius».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 109, 1b-e. 2. 3 (R/. 4b)

R/. Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech.

Dixit Dóminus Dómino meo:

«Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos
scabéllum pedum tuórum». R/.

Virgam poténtiæ tuæ
emíttet Dóminus ex Sion:
domináre in médio
inimicórum tuórum. R/.

Tecum principátus
in die virtútis tuæ,
in splendóribus sanctis,
ex útero ante lucíferum génui te. R/.

Vel:

Consummavit in sempiternum eos qui sanctificantur.

Lectio Epistolæ ad Hebræos

10, 11-18

Omnis sacerdos stat cotidie ministrans et eisdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata. Hic autem, una pro peccatis oblata hostia, in sempiternum consedit in dextera Dei, de cetero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius; una enim oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur.

Testificatur autem nobis et Spiritus Sanctus; postquam enim dixit: «Hoc est testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum et in mente eorum superscribam eas; et peccatorum eorum et iniquitatum eorum iam non recordabor amplius».

Ubi autem horum remissio, iam non oblatio pro peccato.

Verbum Domini.

ALLELUIA

Hebr 5, 8-9

R/. Allelúia.

Cum esset Filius,
didicit ex his, quæ passus est, obediéntiam;
et, consummatus, factus est omnibus obediéntibus sibi
auctor salutis æternæ.

R/. Allelúia.

EVANGELIUM

Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.

✠ Lectio sancti Evangelii secundum Marcum

14, 22-25

Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant: manducantibus illis, accepit Iesus panem et benedicens fregit et dedit eis et ait: «Súmte: hoc est corpus meum». Et accepto cálice, grátias agens dedit eis; et bibérunt ex illo omnes. Et ait illis: «Hic est sanguis meus novi testaménti, qui pro multis effúnditur. Amen dico vobis: Iam non bibam de genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei».

Verbum Domini.

Anno C

LECTIO PRIMA

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum.

Lectio libri Isaíæ prophætæ

6, 1-4. 8

In anno, quo mortuus est rex Ozías, vidi Dominum edentem super sólum excelsum et elevatum; et fimbriæ eius replébant templum. Séraphim stabant iuxta eum; sex alæ uni et sex alæ álteri: duabus velábat faciém suam et duabus velábat

pedes suos et duabus volabat.

Et clamabat alter ad alterum et dicebat: «Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum; plena est omnis terra gloria eius». Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis et domus repleta est fumo.

Et audivi vocem Domini dicentis: «Quem mittam? Et quis ibit nobis?». Et dixi: «Ecce ego, mitte me».

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 22, 2-3. 5. 6 (R/. 1)

R/. Dominus pascit me et nihil mihi deerit.

In pascuis virentibus me collocavit,
super aquas quietis eduxit me,
animam meam refecit. R/.

Parasti in conspectu meo mensam
adversus eos, qui tribulant me;
impinguasti in oleo caput meum
et calix meus redundat. R/.

Etenim benignitas et misericordia subsequuntur me
omnibus diebus vitae meae
et inhabitabo in domo Domini
in longitudinem dierum. R/.

Vel:

Qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes.

Lectio Epistolae ad Hebraeos

2, 10-18

Fratres,

Decibat Deum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxit, ducem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non erubescit fratres eos vocare dicens:

*«Nuntiabo nomen tuum fratribus meis,
in medio ecclesiae laudabo te»;*

et iterum: *«Ego ero fidens in eum»;*

et iterum: *«Ecce ego et pueri, quos mihi dedit Deus».*

Quia ergo pueri communicaverunt sanguini et carni, et ipse similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim angelos apprehendit, sed *semen Abrahæ apprehendit*. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex in iis, quæ sunt ad Deum, ut repropitiaret delicta populi; in quo enim passus est ipse tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari.

Verbum Domini.

ALLELUIA

Ez 36, 25a. 26a

R/. Allelúia.

Effúndam super vos áquam mundam
et dabo vobis cor novum
et spíritum novum ponam in médio vestri.

R/. Allelúia.

EVANGELIUM

Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

✠ Lécitio sancti Evangélíi secúndum Ioánnem

17, 1-2. 9. 14-26

In illo témpore:

Sublevátis óculis suis in cælum, dixit Iesus:

«Pater, venit hora: clarífica Fílium tuum, ut Fílius claríficet te, sicut dedísti ei potestátem omnis carnis, ut omne, quod dedísti ei, det eis vitam ætérrnam. Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedísti mihi, quia tui sunt.

Ego dedi eis sermónem tuum et mundus ódio eos hábuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.

Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex Malo. De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo. Sanctífica eos in veritáte; sermo tuus véritas est. Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum; et pro eis ego sanctífico meípsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte.

Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis, qui creditúri sunt per verbum eórum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut mundus credat quia tu me misísti. Et ego claritátem, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum, sicut nos unum sumus; ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum; ut cognóscat mundus, quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti.

Pater, quod dedísti mihi, volo, ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant claritátem meam, quam dedísti mihi, quia dilexísti me ante constitutióem mundi.

Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi et hi cognovérunt quia tu me misísti; et notum feci eis nomen tuum et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexísti me, in ipsis sit et ego in ipsis».

Verbum Dómini.

OFFICIUM DIVINUM
LITURGIA HORARUM

Feria V post Pentecosten

DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI
SUMMI ET ÆTERNI SACERDOTIS

Festum

Ad Invitatorium

Ant. Christo qui sempiternum habet sacerdotium, glóriam reddámus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Póntifex Iesu, mediátor une
ad thronum Patris precibúsque fautor,
iure conclámat celebrátque nostrum
te genus omne.

Spíritu factus grémio puéllæ
tu puer, cuius tenet ulna mundum,
natus es nobis bene digna sola
hóstia laudis.

Te sacerdotem Pater ipse sancti
gáudii donis oleóque inúnxit,
summa maiéstas sibi ut usque ferret
culmen honóris.

Carne mortáli, Deus alte, sumpta,
sáanguinis præbens decus et lavácrum,
iusta pro nostræ prétia obtulisti
crímine mortis.

Christe, qui ligno crucis elevátus
cuncta traxísti, corda amóre figens,
fac tibi, Patri, Parácleto in ævum
cántica demus. Amen.

PSALMODIA

Ant. 1 Postulávi Patrem meum; dedit mihi gentes in hereditátem.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, *
et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, †
et príncipes convenérunt in unum *
advérsus Dóminum et advérsus Christum eius:

«Dirumpámus víncula eórum, *
et proiciámus a nobis iugum ipsórum!»

Qui hábitat in cælis irridébit eos, *
Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, *
et in furóre suo conturbábit eos:

«Ego autem constítui regem meum *
super Sion, montem sanctum meum!».

Praedicábo decrétum eius: †
Dóminus dixit ad me: «Fílius meus es tu, *
ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, *
et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, *
et tamquam vas figulí confrínges eos».

Et nunc reges, intellégite, *
erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, *
et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, †
nequándo irascátur, et pereátis de via, *
cum exárserit in brevi ira eius.

Beáti omnes *
qui confidunt in eo.

Ant. 1 Postulávi Patrem meum; dedit mihi gentes in hereditátem.

Ant. 2 Exhibéte córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem.

Psalmus 39, 2-13

Exspéctans exspectávi Dóminum, *
et inténdit mihi.

Et exaudivit clamórem meum, *
et edúxit me de lacu misériæ et de luto fæcis;

et státuit super petram pedes meos, *
et firmávit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, *
carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt, *
et sperábunt in Dómino.

Beátus vir qui pósuit Dóminum spem suam, *
et non respéxit supérbos
et declinántes in mendácium.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua, †
et cogitatiónes tuas pro nobis; *
non est qui símilis sit tibi.

Si nuntiáre et elóqui volúero, *
multiplicabúntur super númerum.

Sacrificium et oblatiόνem noluísti, *
aures autem fodísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti, *
tunc dixi: «Ecce vénio,

in volúmine libri scriptum est de me *
fácere voluntátem tuam.

Deus meus, vólui, *
et lex tua in præcórdiis meis.»

Ant. 2 Exhibéte córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem.

Ant. 3 Christus diléxit Ecclésiam et seípsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret.

Psalmus 84

Complacuísti tibi, Dómine, in terra tua, *
convertísti captivitátem Iacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, *
operuísti ómnia peccáta eórum.

Contraxísti omnem iram tuam, *
revertísti a furóre indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster, *
et avérte iram tuam a nobis.

Nunquid in ætérnum irásceris nobis, *
aut exténdes iram tuam
a generatióne in generatióne?

Nonne tu convérsus vivificábis nos, *
et plebs tua lætábitur in te?

Ostēde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, *
et salutāre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur Dóminus Deus, †
quóniam loquétur pacem
ad plebem suam et sanctos suos, *
et ad eos qui convertúntur corde.

Verúmtamen prope timéntes eum salutāre ipsíus, *
ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi, *
iustítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, *
et iustítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, *
et terra nostra dabit fructum suum.

Iustítia ante eum ambulábit, *
et ponet in via gressus suos.

Ant. 3 Christus diléxit Ecclésiā et seípsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret.

V/. Christus unam pro peccátis óbtulit hóstiam.

R/. Et consummávit in sempitérnum sanctificátos.

LECTIO PRIOR

De Epístola ad Hebræos

4, 14-16, 5, 1-10

Iesus, Pontifex magnus

Habéntes ergo pontíficem magnum, qui penetrávit cælos, Iesum Fílium Dei, teneámus confessiónem. Non enim habémus pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris: tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiae: ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio oportúno. Omnis namque póntifex ex homínibus assúptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum ut ófferat dona, et sacrificia pro peccátis: qui condolére possit iis qui ignórant et errant: quóniam et ipse circumdátus est infirmitáte; et proptérea debet, quemádmódum pro pópulo, ita etiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fieret; sed qui locútus est ad eum: «Fílius meus es tu, ego hódie génui te». Quemádmódum et in álio loco dicit: «Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech». Qui in diébus carnis suæ preces, supplicationésque ad Deum qui possit illum salvum fácere a morte cum clamóre válido, et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei dídicit ex iis, quæ passus est, oboediéntiam; et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi, causa salutis æternæ, appellátus a Deo póntifex iúxta órđinem Melchisedech.

RESPONSORIUM

Phil 2, 8; Is 53, 7

R/. Christus humiliávit semetípsum, * Factus oboédiens usque ad mortem.
V/. Oblátus est quia ipse vóluit. * Factus oboédiens.

LECTIO ALTERA

Ex Litteris Encýclicis «Mediátor Dei» Pii Papæ duodécimi.
(AAS 39 [1947], 552-553)

Christus sacerdos et victima

Christus útique sacérdos est, sed nobis non sibi sacérdos, cum vota religionísque sensus totíus humáni géneris nómine ætérno Patri déferat; idem páriter víctima est, sed nobis, cum semetípsum in vicem hóminis culpís obnoxii repónat. Iamvéro illud Apóstoli «hoc... sentíte in vobis quod et in Christo Iesu» a cristiánis ómnibus póstulat, ut eo modo ánimus in se réferant afféctum, quantum humána potest facúltas, quo divíni Redemptóris ánimus afféctus erat, cum sui ipsíus faciébat Sacrificium; húmílem nempe réferant mentis demissiónem, summæque Dei Maiestátis adoratiónem adhibeant, honórem, laudem gratiarúmque actiόnem. Póstulat prætérea ab iisdem ut víctimæ condiónem quodámmodo sumant, ut semetípsos ad Evangélii præcépta abnégent, ut pæniténtiæ ultro libentérque dent óperam, utque admíssa quisque sua detesténtur et éxpient. Póstulat dénique ut omnes una cum Christo mýsticam in Cruce mortem obeámus, ita quidem ut Pauli senténtiam usurpáre póssimus: «Christo confíxus sum Cruci» (Gal 2, 19).

RESPONSORIUM

Cf. Gal 2, 20

R/. In fide vivo Filii Dei * Qui diléxit me et trádidit semetípsum pro me.
V/. Vivo, autem iam non ego, vivit vero in me Christus. * Qui diléxit me.

HYMNUS Te Deum

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Cóncinunt caeli parílique tellus
laude te, nostri géneris Redemptor,
Christe, te Patri pérhibens piáclum
Ipse sacérdos.

Tu libens, Iesu, voluísti ad atrae
mortis angórem placidúsque ferri,
pérditis nobis iter ut patéret
portáque cæli.

Sacra tu delens veterúmque ritus
ac prophetárum moniménta adímplens,

iam cum summis novo amore iungens
fœdus inisti.

Fœderis tanti miseratus auctor,
te cibum vitæ tribuisti, ad aras
pignus ut pacis pius immolares,
tu sacer unus.

Christe, qui ligno crucis elevatus
cuncta traxisti, corda amore figens,
fac tibi, Patri, Parácleto in ævum
cántica demus. Amen.

Ant. 1 Pater per sanguinem crucis Christi, pacificavit sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.

Psalmi et canticum de dominica hebd. I.

Ant. 2 Omnia per Christum et in Christo creata sunt.

Ant. 3 Omnia subiécit sub pèdibus eius et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiám, quæ est Corpus ipsius.

LECTIO BREVIS

Hebr 10, 5-10

Ideo ingrédiens mundum dicit: Hóstiam et oblatiónem noluisti; corpus autem aptásti mihi; holocaustómata pro peccáto non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce vénio: in cápite libri scriptum est de me: Ut fáciam, Deus, voluntátem tuam. Supérius dicens: Quia hóstias, et oblatiónes, et holocaustómata pro peccáto noluisti, nec plácita sunt tibi, quæ secúndum legem offerúntur, tunc dixi: Ecce vénio, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam; aufert primum, ut sequens státuat. In qua voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Iesu Christi semel.

RESPONSORIUM BREVE

Ps 39, 8-9

R/. Ecce vénio * ut fáciam voluntátem tuam. Ecce vénio ut fáciam.

V/. Lex tua est in præcórdiis meis. * Ut fáciam voluntátem tuam. Glória Patri. Ecce vénio.

Ad Benedictus, ant. Omnes unum sint, Pater, ut credat mundus, quia tu me misisti.

PRECES

Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui reple beneficiis tuis omnes accedéntes ad te: nos filii tui, hanc diem inchoántes, per Christum cum Ipso et in Ipso te deprecámur:

Dómine, exáudi nos.

Iesu Christe, Fili Dei vivi,

— duc nos in lumen tuæ Veritátis.

Christe, Verbum Dei, qui es apud Patrem usque in sæculum,

— súscta in fidélibus tuis voluntátem Evangélii nuntiáandi.
 Iesu, Uncte a Patre in Spírítu Sancto,
 — cónsecra Ecclésiám tuam in sanctitáte.
 Christe, Póntifex Novi Testaménti,
 — índue sacerdótes tua sanctitáte ad glóriam Patris.
 Christe, Sapiéntia Dei, pax et reconciliátio nostra,
 — fac ut omnes efficiámur concórdes et unánimes in Ecclésia tua.
 Christe, Sacérdos Ætérne, Patris glorificátor,
 — fac ut oblátio nostra in te reddátur laus ætérnæ glóriæ.

Pater noster.

Oratio

Deus, qui ad maiestátis tuæ glóriam et géneris humáni salútem, Unigénitum tuum Summum atque Ætérnum constituísti Sacerdótem, præsta, ut, Spírítu Sancto largiénte, quos minístros et mysteriórum suórum dispensatóres elégit, in accépto ministério adimpléndo fidéles inveniántur. Per Dóminum.

Ad Horam mediam

Psalmi de die currente.

Ad Tertiam

Ant. Per Christum habémus accéssum omnes in uno Spírítu ad Patrem.

LECTIO BREVIS

Hebr 7, 26-27

Talis enim decébat ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem quotidie, quemádmódum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo.

V/. Communicántes Christi passióibus gaudéte.

R/. Ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes.

Ad Sextam

Ant. Superædificáti estis super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

LECTIO BREVIS

1 Petr 2, 4-5

Accedéntes vos ad Christum, lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, a Deo autem eléctum et honorificátum: et ipsi tamquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdotium sanctum, offérre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Iesum Christum.

V/. Sicut ergo accepístis Iesum Christum, Dóminum, in ipso ambuláte.

R/. Radicáti, et superædificáti in ipso, et confirmáti fide.

Ad Nonam

Ant. Unicuïque nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi, in ædificatiónem Córporis eius, quod est Ecclésia.

LECTIO BREVIS

1 Petr 2, 9-10

Vos autem genus eléctum, regále sacerdotium, gens sancta, pópulus acquisitionis: ut virtútes annuntiétis eius qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei; qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti.

V/. Pax Christi exsúltet in córdibus vestris.

R/. In qua et vocáti estis in uno corpore.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Ad II Vesperas

HYMNUS

Ætérne, Christe, póntifex,
novi sacérdos foéderis,
te nostra vota cóndecent,
te grati amóris cántica.

E Patris aula pródiens,
nostri misértus críminis,
venis in alvum Vírginis,
egénus atque oboédiens.

Delens vetústa, et ómnia
in lumen aptans grátiaē,
a Patre digne ac Spírítu
princeps sacérdos úngeris.

Tu pura solus hóstia,
amóre fundis sánguinem,
donas amóre ut fílii
iam pace Patris gáudeant.

Nostræ salúti iúgiter
te das in aris víctimam;
throno suprémō et ássides
perfécite ut unus ímpetres.

Sit, Christe, summe póntifex,
tibi Patrique glória,
qui vivis, offers, ímperas
in sempitérna sácula. Amen.

Ant. 1 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: Tu es Sacérdos in ætérnum.

Psalmus 109, 1-5.7

Dixit Dóminus Dómino meo: *

«Sede a dextris meis,

donec ponam inimícos tuos *
scabéllum pedum tuórum».

Virgam poténtiæ tuæ emíttet Dóminus ex Sion: *
domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum principátus in die virtútis tuæ, †
in splendóribus sanctis, *
ex útero matutíni velut rorem génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: *
«Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órđinem Melchisedech».

Dóminus a dextris tuis, *
conquassábit in die iræ suæ reges.

De torrén-te in via bibet, *
proptérea exaltábit caput.

Ant. 1 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: Tu es Sacérdos in ætérnum.

Ant. 2 Deus, qui dives est in misericórdia, convivificávit nos in Christo.

Psalmus 110

Confitébor Dómino in toto corde meo, *
in consílio iustórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini, *
exquirénda ómnibus qui cúpiunt ea.

Decor et magnificéntia opus eius, *
et iustítia eius manet in sǎculum sǎculi.

Memóriam fecit mirábílium suórum, *
miséricors et miserátor Dóminus.

Escam dedit timéntibus se; *
memor erit in sǎculum testaménti sui.

Virtútem óperum suórum annuntiávit pópulo suo, †
ut det illis hereditátem géntium; *
ópera mánuum eius véritas et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius, †
confirmáta in sǎculum sǎculi, *

facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo, *
mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen eius; *
initium sapientiæ timor Dómini,

intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; *
laudatio eius manet in sæculum sæculi.

Ant. 2 Deus, qui dives est in misericórdia, convivificávit nos in Christo.

Ant. 3 Christus est imágo Dei invisibilis primogénitus omnis creatúræ.

Canticum

Col 1, 12-20

Grátias agámus Deo Patri, *
qui dignos nos fecit
in partem sortis sanctórum in lúmine,

qui erípuít nos de potestate tenebrárum *
et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ,

in quo habémus redemptionem per ságuinem eius,*
remissionem peccatórum.

Qui est imágo Dei invisibilis, *
primogénitus omnis creatúræ;

quóniam in ipso cóndita sunt univérsa †
in cælis et in terra, *
visibília et invisibília,

sive throni sive dominationes *
sive principátus sive potestátes:

omnia per ipsum et in ipso creáta sunt, †
et ipse est ante omnes, *
et omnia in ipso constant.

Et ipse est Caput Córporis Ecclésiæ, †
qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, *
ut sit in ómnibus ipse primátum tenens;

quia in ipso complácuít omnem plenitúdinem inhabitáre, *
et per eum reconciliáre omnia in ipsum,

pacíficans per ságuinem crucis eius *
sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.

Ant. 3 Christus est imágo Dei invisibilis primogénitus omnis creatúræ.

LECTIO BREVIS

Hebr 10, 19-23

Habéntes itaque fratres fidúciam in intróitu sanctórum in sángine Christi, quam initiávit nobis viam novam, et vivéntem per velámen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei; accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, aspérsi corda a consciéntia mala, et ablúti corpus aqua munda, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem fidélis enim est qui repromísit.

RESPONSORIUM BREVE

Rom 5. 1b-2b

R/. Pacem habeámus ad Deum * per Dóminum nostrum Iesum Christum. Pacem habeámus.

V/. Et gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. * Per Dóminum. Glória Patri. Pacem habeámus.

Ad Magnificat, ant. Pater, ego pro eis rogo, quia tui sunt et pro eis sanctífico meípsum: ut sint et ipsi sanctificáti in Veritáte.

PRECES

Per Christum, vota nostra effundámus Deo Patri, qui ómnia voluntáte sua dírigit et benedícit omnes in Ipso confidéntes:

Exáudi nos, fidénter te rogámus.

Christe, qui es Verbum Patris,

— súggere lábiis nostris quod sumus oratúri.

Christe Sacerdos, qui es Panis Vitæ,

— fac ut elécti donum vivant próprii Sacerdotii, in te consummántes oblatiónem ipsórum.

Christe glorióse, qui intercédís semper apud Patrem pro nobis,

— fac nos fidéles in oratióne, ne defícient operárii in messe tua.

Christe Dómine, qui es a Patre missus,

— da ut omnes invéniant in te vitam et viam Regni.

Christe, Fili Dei vivéntis, qui morte tua mortem devicísti,

— da ut oblátio extrémá nostrórum defunctorum tríbuat ipsis in glória gáudium sempitérnum.

Pater noster.

Oratio

Deus, qui ad maiestátis tuæ glóriam et géneris humáni salútem, Unigénitum tuum Summum atque Ætérnum constituísti Sacerdotem, præsta, ut, Spíritu Sancto largiénte, quos minístros et mysteriórum suórum dispensatóres elégit, in accépto ministério adimpléndo fidéles inveniántur. Per Dóminum.

MARTYROLOGIUM ROMANUM**11. FERIA V post Pentecosten**

Festum Dómini nostri Iesu Christi, Summi et Aetérni Sacerdótis, secúndum órđinem Melchisedech, in quo ab inscrutábili aevo Pater complácuit, qui Mediátor Dei et hóminum, patérnam voluntátem adímplens, in ara crucis seípsum Hóstiam toti mundo salutárem semel immolávit. Formam sacrificiis perénis sic instítuens, inter filios Adae fratérna éligit bonitáte hómines sacerdotio augéndo quátenus ex sacrificio incessánte in Ecclésia renováto flúmina virtútis divínae manárent, quibus novum caelum nováque terra efficeréntur, et in universórum latitúdine complerétur quod óculus non vidit nec áuris audívit nec in cor hóminis ascéndit.

17. FERIA V post Pentecosten: Domini nostri Iesu Christi, Summi et Aeterni Sacerdotis

Hebr 9, 24-25

Non enim in manufacta Sancta Christus introívit, quae sunt similitúdo verórum, sed in ipsum caelum, ut appáreat nunc vultui Dei pro nobis; neque ut saepe offerat semetípsum, quemádmódum pónifex intrat in Sancta per síngulos annos in ságuine aliéno.

Verbum Dómini.

R/. Deo grátias.